



admitte querimoniam meam, et ex tua promissione
re verum caelestium instrue, os loquens in hiis
contradictore, aut resistere neque
tur in conspectum tuum suppli-
cares tuas perveniat. libera
omni receperit, ab omni periculo, quod
in salutem servas, et incolumem.

III. IIII.

Quae stabunt labia mea
si fueris me iustificationis
pronunciabit lingua mea
quia quia quia quia
ITAS.

in animi promissio, ut pro
me Domine, et verbi
in explicat doctrina, et
abraque, ostia fontis
non erit certe vultum
beneficis Dei contice
m, nisi dicitur iustitias Dei,
os suo. Am.

VI. VII.

Quae manus tua ut saluet me: quo
mandata tua elegi.

Quare Deus invocandus. Ut animo, et cogitatione do-
strinam caelestem comprehendere, et pure, ac sincere alijs ex-
plicare possim, sublata voce clamorem ad te edo. Quare tuere me
et defende: ut de tuorum decretorum, praescriptionibus vitam
et mores gubernare queam.

III. IIII.

Præveni in immaturitate &
maui: quia in verba tua superpera
Prævenereunt oculi mei ad re-
culo, ut meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, quae est fides, a circumstantia
ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quietat
præuerto, omnem spem meam, praesidiumque in tuo ver-
bens. Nondum cum vaga caelo sidera fulgens aurora fu-
stulm relinquo, ut mediter verbum tuum: de quo tuis in-
ad cure me commissos sermones habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
fericordiam tuam Domine: & secun-
dum iudicium tuum vivifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet vilius vi-
meriti, quod ab opibus nostrae naturae proficisci potest.
tum misericordiae, et clem-
ta peccata, inquit Ambrosius
implorantis tuam
tam mihi hanc quam
ex hominibus

es me nio

Fragmentary text from the reverse side of the page, including words like "me", "quae", "manus", "tuae", "elegi".

Fragmentary text from the reverse side of the page, including words like "domine", "verba", "eloquia", "tuo".

Fragmentary text from the reverse side of the page, including words like "audi", "secundum", "iudicium", "vivifica".

QVÆSTIO

CONTINENS STA-
TVM CONTROVERSIÆ
DE LIBERO ARBITRIO,
vna cum assertionem eiusdem, certis
compræhensa thesibus.

PROPOSITA

BVRCHARDO HAR-
BART CONICENSI. S. THEOLOGIAE LICEN-
tiato, & Publico Professore, cum insignia Doctoralia in
Theologia, solenni ritu ipsi conferrentur:

Et postea ab eodem publica dispu-
tatione repetita,
20. Decemb.



IMPRESSA LIPSIAE, TYPIS
Abrahami Lambergi.

ANNO

CL. IO. XXXVIII.

THESES DE LIBERO ARBITRIO.



An homo, fraude Diaboli & propria voluntate in peccatum lapsus, sicut in externis actionibus, libero præditus est arbitrio: ita etiam ante regenerationem, eodem in rebus spiritualibus, ut ante lapsum, præditus sit?

I.

POST QUAM homo Satanae dolo, & propria voluntate à Deo defecit, non modo omnes vires eius ingenti labe sunt vitiatae: sed etiam hoc accessit incommodi, quòd morbi sui magnitudinem non satis agnoscens, ad ea contendere audet, quæ illius captum & facultates longè superant.

II.

Inhæret namq; animæ ipsius tenaciter infixum, ab hoste humani generis afflatum virus: Eritis sicut **DIR**, scientes bonum & malum. Hinc sibi persuadet etiam in diuinis, quæ aliqua ex parte in caducis & terrenis præstare potest.

III.

Quare ut constet, quid nobis reliquum fecerit peccati contagium, quod nostram naturam fermenti instar peruasit: paucis capitibus doctrinam de viribus humanis compræhendemus.

IIII.

Indicantur illæ vsitatè liberi arbitrij nomine, apud Latinos, Græci ἀντὶ θεοῦ vocant, quod quia ex αὐτῶν & ἐξ ἑστίᾳ compositum,

A 2



tum, nihil aliud significat, quàm quod est sui iuris, & in sua potestate, ita vt cogi nequeat, Deo propriè competit, & in hac materia tanquam arrogantius, quàm pro rei natura, meritò rejicitur.

V.

Neque vna est apud scriptores Ecclesiasticos nominis acceptio: quod alij hoc ipso mentis & voluntatis substantiam: nonnulli facultatem, qua discernitur homo à creaturis, citra rationem, vel naturaliter, vel violento impulsu agentibus: quidam etiam qualem cunque libertatem in rebus humanis, vel diuinis denotent: quibus accedit Augustinus contingentiam in actionibus vitiosis, quæ à non renatis præstantur, hac voce intelligens. Sed illis significationibus, tanquam minimè controuersis, & huc non facientibus omisissis, hinc quæritur, de motibus & actionibus spiritualibus, & quid in illis possit atque efficiat non renata hominis voluntas.

VI.

Ad quæstionem verò, an sit liberum arbitrium, non potest responderi, nisi cum distinctione diuersorum respectuum. Quando enim liberum coacto opponitur, rectè dicitur hominis voluntatem esse liberam: quòd voluntas coacta suam amittat naturam & essentiam, vt voluntas amplius non sit. At si liberum seruo opponas, quòd plerique Theologi Græci & Latini, nec non Reuerendus pater D. D. Lutherus fecerunt: tum in externa quidem disciplina præstanda homini aliqua libertas relicta est: sed in spiritualibus actionibus, oportet voluntatem liberari per CHRISTVM, antequam in his edendis se exerat.

VII.

Est enim status controuersæ in hac materia, non quale fuerit liberum arbitrium ante lapsum, aut quale sit post lapsum in rebus externis, quæ hominis potestate subiectæ sunt: neque quæritur, quid possit post regenerationem, quando à Spiritu sancto illuminatum, negocia ad animæ salutem pertinentia tractat: aut quale in beata vita futurum sit: sed hoc in disputationem

nem

nem venit, quid hominis nondum renati intellectus & voluntas in ipsa conuersione, ex proprijs & post lapsum reliquis animæ viribus præstare queat, quando per verbum prædicatum vel lectum, gratia Dei ipsi offertur: an nimirum in hominis sic affecti potestate sit, ad gratiam apprehendendam se applicare, & verbo DEI solidè assentiri. De quo quid statuendum sit, ex sequentibus, auxiliante diuina gratia, patebit.

VIII.

Atq; hinc iam manifestum est, non facilè vna definitione naturam liberi arbitrij exponi posse, sed eam pro diuersa consideratione, aliter atq; aliter describi.

IX.

Si .n. ideam illius spectemus, & quale fuerit in statu integritatis consideremus, rectè dicetur esse facultas rationis ad bonū malūque discernendum, & voluntatis ad vtrumuis eligendum, nec non virium ad vtrumlibet præstandum.

X.

At statum controuersie propius attingit, quæ Augustino tribuitur, descriptio: quòd sit facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratiâ assistente, malum ea desistente.

XI.

In genere verò hunc in modum res notari potest. Liberum arbitrium est facultas animæ, quæ iudicium intellectus seu rationis, in rebus externis sequitur, aut actio, qua in diuinis motu Spiritus sancti, per Verbum mentem illustrantis, & voluntatem flectentis, sine coactione expetuntur aut reijciuntur, quæ expetenda fugiendæue proponuntur.

XII.

Ac duabus vtimur vocibus in hac re indicanda: quòd in ea iudicium rationis, obiectū sub specie boni vel mali ostendens præcedat, & sequatur voluntas obiectum ab intellectu monstratum, vel eligens vel reijciens. Nam mens humana, ceu arbitrum quidam, suo intellectu dijudicat obiecta, quæ voluntas prout monstrantur, prosequitur, si sub ratione boni offerantur: vel fugit, si tanquam mala repræsententur.

XIII.

Fit autem & iudicium verius, si à Spiritu sancto mens illustrata hoc suum munus exequitur, & electio aut fuga non aberrat, si hoc monstratore expetenda prosequitur, aut fugienda auersatur.

XIII.

Species liberi arbitrij, pro subiectorum varietate diuersæ constitui possunt. Nam primum DEO propriè & verè competit & ἀνεξάρτητον, hoc est, absoluta res constituendi & gerendi facultas, qua sui iuris existens, nulliusq; dominium agnoscens, omnia facit, quæcunque vult in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis, Psal. 115. & 135.

XV.

Deinde in angelis bonis est libertas, bona, & quæ diuinæ voluntati congruentia sunt agendi, non quidem coactè, sed naturali necessitate, qua ob confirmatam voluntatem, tantum ad bona liberè feruntur, & mala sua sponte respuunt.

XVI.

Tertiò, contrarium accidit in malis angelis, qui postquam à DEO auersi propria voluntate ad peccandum ruerunt, bona aspernantur, & mala proprio motu eligunt, ita vt ad vitiosa ferantur: nulla tamen vi & coactione extrinsecus accedente.

XVII.

Quartò, consideratur etiam liberum arbitrium respectu hominis cuius cùm quatuor sint status: ante lapsum quidem, erat illius magna vis, ad bonum iuxta rationis iudicium sua sponte eligendum, & malum declinandum: sed illa peccati labbe adeò eneruata concidit, vt vix tenues ipsius reliquæ supersint, ad præstandum externam disciplinam, & in diuinis rebus nec intelligat, nec expetat, quod salutare est: nisi homo à Spiritu sancto illustratus ac renouatus, incipiat nosse DEO placencia, eademq; expetere, & contraria, eiusdem virtute, auersari. Quæ tamen facultas in hac vita non perficitur, sed in statu gloriæ suam integritatem sortita, in solidum restituetur.

Habet

Habet autem liberum arbitrium **DEVM** autorem, qui hominem ad imaginem suam formans, in prima creatione, rationalem animam illi iniecit, cuius facultate discerneret inter bonum & malum, & ad utrumvis voluntatis inclinatione liberè absque vlla coactione ferri posset, Ecclesiast. 15.

XIX.

Verùm, quia lapsu primorum parentum ita deprauatus est homo, ut intellectus noster ignorantia obscuratus, boni & mali verum discrimen amiserit, & in ijs, quæ ad salutem animæ pertinent omninò excecatus sit, ac voluntas corrupta, & ad prauitatem prona, à bonis suâ naturâ planè abhorreat, sensusq; carnis sit inimicitia aduersus **DEVM**, Rom. 8. & cogitatio cordis humani tantùm mala à pueritia Genes. 6. & 8: Spiritus sanctus in conuersione, ita rationem reformat, & voluntatem mouet ac flectit, ut homo naturâ hostis **DEI**, & filius iræ, Ephes. 2. fiat **DEI** amicus, hæres **DEI**, ac cohæres Christi, Rom. 8. intelligat promissionem gratiæ, eamq; firmo assensu lætus amplectatur, optima quæq; sibi de **DEO** pollicens, eumq; blando patris titulo in omnibus periculis compellans, Rom. 8. Gal. 4. quem antea tanquam hostem & crudelissimum tyrannum penitus auersabatur.

XX.

Quare ut ad **CHRISTVM** veniamus, à patre trahimur, Iohan. 6. Non enim, ut inquit Augustinus, ille trahitur, qui antea sua sponte volebat ire, sed ducitur.

XXI.

Quomodo autem fiat ista tractio, docet **CHRISTVS** Iohan. 6. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.

XXII.

Nam non violento impetu, hominis conuersionem operatur **DEVS**: sed medijs utitur Lege & Euangelio: ut illius voce suæ miseriæ admoneatur, & huius læto nuncio, ad **CHRISTVM** omnium bonorum fontē apprehendendum perducat.

tur. Ideoq; Lex dicitur esse Pædagogus ad CHRISTVM, Galat. 3. & Euangelium vocatur potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. 1.

XXIII.

Neq; Enthusiastici raptus sunt expectandi: cum homo ita sit creatus, vt sacris cœtibus interesse, verbum DEI audire, legere ac meditari queat: quamuis salutaris assensus, non nisi cœlitus ipsi contingat, vt testatur etiam Augustinus de fide ad Petrum, cap. 32.

XXIII.

Quare qui Verbum & Sacramenta contemnunt, non illuminantur, quia gratia DEI homini non obtruditur, sicut stigma corpori inuritur, aut imago ceræ inprimitur: sed virtute Spiritus sancti, ita illustratur ac flectitur intellectus & voluntas hominis, vt cum desiderio, delectatione & gaudio oblatum donum accipiat: sicut Eunuchi Act. 8. & Berrhæensium 17. exempla ostendunt. Quod nisi fiat, tanta est mali originalis perversitas, vt nec ratio nostra illud assequatur, nec voluntas expetat, sed hostiliter auerfetur ac repudiet.

XXV.

Quam primum verò Spiritus sanctus, per Verbum & Sacramentorum vsum, in nobis incoavit opus regenerationis, ac renouationis, iam virtute illius adiuti, eidem cooperari possumus & debemus: licet multa adhuc infirmitate laboremus. Veruntamen *συνεργία* ista non ex viribus nostris oritur, sed est effectus noui doni, quo à spiritu Sancto in conuersione ornati sumus. Ideo Paulus hortatur, curemus, ne frustra gratiam DEI receperimus, 2. Corinth. 6. Et Timotheum iubet *ἀναλωμα πνεύματος* donum cœlitus collatum. Atq; huc facit Augustini distinctio inter gratiam operantem & cooperantem. Et cum inquit: Aguntur, vt agant, non vt ipsi nihil agant.

XXVI.

Quamuis autem etiam Pelagiani gratiæ hostes, visi sunt, vt cunque eam fateri, & posuerunt diuinas suggestiones, ac Spiritus sancti illuminationes: tamen sicut apparet ex Augustino

stino

Stino de Gratia CHRISTI, contra Pelagium, & Cœlestinum, donum & efficaciam Spiritus immutantis animos nostros non agnoscebant, neque attingebant.

XXVII.

Subiectum liberi arbitrij est anima ratione prædita, quæ cum habeat intellectum & voluntatem, est quidem illud in voluntate, sed radices agit in intelligentia: quod rem prius iudicari atque æstimari oporteat, antequam fuga & electio illius sequatur. Vnde Augustinus lib. 4. cap. 3. contra Iulianum inquit: Gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, non lapidibus aut lignis, pecudibusq; præstatur. Carent enim subiectis, mente scilicet & voluntate, in quibus Deus ordinario modo, per verbum & sacramenta agere solet, & in quibus necesse est fieri conuersionem.

XXVIII.

Ac manet ipsa animæ substantia, quoad potentias & vires suas, etiam in regeneratione, sed qualitatibus mutata. Sicut Augustinus lib. 14 de ciuitate Dei, cap. 11. contra Manichæos afferit, conuersionem fieri non detracta substantia animæ: vel vlla eius parte sublata: sed ea, quæ vitiata ac deprauata fuerat, sanata atq; correctæ.

XXIX.

Quare verissimum est quod Prosper ait: Liberum arbitrium naturaliter homini inditum manet in natura, sed qualitate & conditione mutatum per Mediatorem CHRISTVM, qui ipsam voluntatem ab eo quod peruersè volebat, auertit, & in id quod ei bonum esset velle, conuertit.

XXX.

Ac licet humana voluntas, quoad externam disciplinam, & quatenus est renouata à Spiritu sancto, etiam in diuinis aliqua libertate prædita est: tamen in ipsa conuersione subiectum est, nihilq; agit, quod ad sui immutationem faciat: sed tantum patitur se nouis ac cœlestibus donis informari, & præter capacitatem, quam D. Lutherus passiuam aptitudinem vocat, nihil habet: vt verò capiat, hoc totum est gratiæ. Rom. 8. & Phil. 2.

B

Inde

Inde tamen non inferendum est, nos esse truncos aut lapides: cum, ut iam dictum fuit ex Augustino, hæc subiecta non sint capacia supernaturalium bonorum, & moueantur in sui immutatione violenter: voluntas verò, motu conueniente suo fini ac perfectioni, cœlestem gratiam percipiat.

XXXII.

Versatur autem liberum arbitrium in genere circa τὰ πρᾶκτα, quæ sub actionem cadunt, & nec violenta coactione & necessitate voluntatem impellunt, nec euidentiâ bonitatis, quantum quidem rationis iudicio illa apprahendi potest, vim talem eidem inferunt, ut libertate sua, εἰς τὰ ἀμφοτέρωσιν uti nequeat, eo modo, sicut fuit expositum.

XXXIII.

Ac sunt τὰ πρᾶκτα, communiter accepta voce, in quadruplici differentia. Nam actionum quædam sunt naturales, nobis cum brutis communes, quædam œconomicae ac politicae, alia Ecclesiasticae, nonnullæ spirituales.

XXXIII.

In tribus prioribus generibus, homo etiam non renatus libertate voluntatis præditus est. Nam & nutrimenta assumit, stat, sedet, vigilat, dormit, &c. quando libet, & ducit uxorem, generat & educat liberos, gerit magistratum, colit agros, exercet cōtractus, &c. cum vult: nec non sacris interest. Verbum audit, & meditaturo externo modo: Potest quoque utcunque regere locomotiuam, & membra externa flectere ad actiones congruentes cum Lege DEI: quæ iusticia carnis vocatur.

XXXV.

Veruntamen impeditior est in his omnibus, quàm regeneratus, & quicquid agit peccatum est, Rom. 14. Hebr. 11. quòd Spiritu S. & fide destitutus, solo naturali ductu feratur. Ideoque in deliberationibus sapissimè à vero aberrat scopo, naturâ cœca magistra vtens.

XXXVI.

At in spiritualibus, homo non renatus, non solum non potest aliquid suis viribus præstare: Verum etiam nec intellectu perci-

percipere, nec voluntate eligere quæ sunt cœlestia, 1. Cor. 2.
2. Corinth. 3. Rom. 8. Ioh. 3.

X X X V I I.

Ad regeneratum quod attinet, potest ipse quoque actiones
externas trium generum, iam commemoratas liberè exercere:
& sunt eadem in ipso multis modis præstantiores: quando-
quidem spiritu D E I intellectus & voluntas eius regitur, vt cir-
cumspectius & religiosius cuncta aggrediatur, & in id tãquam
in vnicum scopum semper sit intentus, quò ad gloriam D E I,
propriam salutem, & proximi commodum opera sua dirigat,
1. Cor. 10. Rom. 14. X X X V I I I.

Et quia iam virtute Spiritus sancti in nouum mutatus est
hominè, qui in iusticia & sanctitate D E O probata viuit, Luc. 1.
Ephes. 4. intellectum ita habet illuminatum, vt quæ D E I sunt,
atque ad salutem æternam faciunt, possit agnoscere: & volun-
tas ipsius eodem duce ac moderatore ita gubernatur, vt quæ
D E I sunt, velit, & ad bonas actiones alacriter feratur. Ideoque
renati cum timore ac tremore suam salutem operari iubentur,
Philip. 2. quia sunt Filij D E I & spiritu illius aguntur, Rom. 8.

X X X I X.

Sed tamen manet multa infirmitas etiam in renatis, & per-
petua lucta carnis & spiritus: ita tamen vt pij non succumbant,
sed virtute diuina palmam obtineant. Qua de re conqueritur
Paulus, Rom. 7. cum inquit: video aliam legem in membris
meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. Et Galat. 5. dicitur:
Caro concupiscit aduersus spiritum.

X L.

Ex his quæ dicta sunt hætenus, liquidò constat, quid sta-
tuendum sit, de tribus causis in conuersione concurrentibus,
& quomodo hominis voluntas se habeat in cõuersione, & post
eandem, nimirum quod Spiritus sanctus sit causa efficiens con-
uersionis. Verbum D E I causa instrumentalis, & voluntas ho-
minis subiectum & materia, quæ tamen conuersa & renata per
Verbum & per Spiritum sanctum eidem vi & efficacia cœlitus
donata cooperatur. X L I.

Forma liberi arbitrij ex allatis supra definitionibus, & ijs,
B 2 quæ

quæ in præcedentibus sunt commemorata, satis euidenter apparet. Nam de essentia illius est, vt intelligat boni & mali discrimen, & ad vtrumq; voluntatis inclinatione liberè feratur.

X L I I.

Quamvis si vitiosa prosequatur, & motibus Spiritus sancti liberè repugnet, seruum peccati magis sit, quàm liberum. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati, Iohan. 8. Vbi tamen distinguendum est inter necessitatem coactionis & immutabilitatis: quod faciunt Damascenus & Bernhardus: & tenendum est, Augustinum ideo docere hominem in malis habere liberum arbitrium, ne DEVM constituat autorem, sed vt sibi ipsi quisq; imputet, cum peccat.

X L I I I.

Concessum est autem homini liberum arbitrium in prima creatione, & manserunt illius tenues quædam reliquæ præstandi externas actiones post lapsum, ac restituitur ipsum in renatis per Spiritum DEI, 1. Vt constet DEVM autorem illius esse agens liberrimum, qui multa moderetur sine causis secundis, aut etiam illis repugnantibus. 2. Et discrimen conspiciatur inter naturaliter & liberè agentia. 3. Ac ne DEVS putetur esse causa peccati. 4. Vtque in vita & societate humana, externa disciplina, nec non spirituales actiones præstari queant. Quod verò liberum arbitrium per vocem Euangelij, & per Spiritum sanctum ad libertatem iusticiæ flecti potest, id facit ad excitandum nostrum studium in Verbi auditu, & meditatione, atq; vt nos DEO totos submittamus, nec ipsi contumaciter & hostiliter repugnemus.

X L I I I I.

Quid operetur liberum arbitrium, ex hæcenus commemoratis nemini obscurum esse potest. Nam in non renatis externas actiones, quæ sub intellectus iudicium & voluntatis electionem cadunt, præstare potest. At postquam homo nullo suo merito, sed sola DEI gratia, mentem & voluntatem renouatam, illustratam & liberatam adeptus est, vt ex ignorante & nolente factus sit sciens & volens, ita ornatur, vt iam Spiritus sancti

401
sancti virtute spontaneam obedientiam præstando, edat opera
primæ & secundæ tabulæ DEO probata.

XLV.

Et si autem non renati naturales & ciuiles actiones, nec non
externam obedientiam, legi diuinæ vtcunq; præstare possunt:
tamen hæc omnia in illis multum deformitatis & vitij coniu-
ctum habent, non tantum, quia ipsi sunt in odio DEI: sed etiam
quòd mali originalis fœditas ea inquinat, ac mutilat, Matth. 7.
12. 15. Luc. 6. in renatis quoque, etiamsi ex seruo arbitrio,
quoad bonum, liberum factum est, magna infirmitas manet, &
perpetua lucta carnis ac spiritus in hac vita.

XLVI.

Et cum vtriq; inclinentur ad peccandum: hoc tamen in-
ter eos est discriminis, quòd impij in peccatis sibi placentes,
voluptatem ex ijs capiunt, neque dolore admissorum scelerum
tanguntur, sed in illis volentes, & vtrò se volutant: licet diuer-
sum interdum dicat recta ratio & lex diuina: Renati verò suam
immundiciem dolent ac detestantur, verisq; suspirijs ac gemi-
tibus cupiunt ex hoc corpore peccato obnoxio migrare, Ro-
man. 7. Philip. 1. ac cœlesti superindui iusticia: & dum deti-
nentur in hoc tabernaculo subinde orant: Dimitte nobis de-
bita nostra, &c. Matth. 6. Psal. 32.

XLVII.

Quare sicut agnoscenda est hæc infirmitas: ita nequa-
quam occasionem ignauitæ & torporis, aut licentiæ in delin-
quendo nobis præbere debet: quin potius stimulos addere, vt,
quantum in nobis est, ad veram aspiremus libertatem, & moti-
bus Spiritus sancti, qui dat velle & perficere, Philip. 2. paream-
us. Atq; hinc factum est, vt, dum huic malo desidiæ, quidam
ex patribus mederi, & homines excusso veterno securitatis ad
diligentiam excitare voluerunt, nimij fuerint in commendan-
do, & extollendo libero arbitrio.

XLVIII.

Cum libero arbitrio cognitionem habet spontaneum, seu
ἐκδούσιον, προαίρεσις, & executio sequens προαίρεσις: sed tamen
B 3 pluri-

plurimum inter hæc est discriminis, ita vt pro iisdem accipi non possint.

X L I X.

Cum libero arbitrio primùm pugnant ea, quæ libertatem illius in sponte expetendo bona impediunt: quorum primum est naturæ corruptio, qua & vitiatum est intellectus iudicium, & voluntatis electio deprauata. Alterum est furor diaboli, odio DEI homines ad praua impellentis. Tertium est negociorum & periculorum moles, quæ sæpè obruit rationem, & voluntatem ceu iniectis tricis in prosecutione boni remoratur.

L.

Hic tamen tenendum est aliud esse loqui de voluntatis electione, & aliud de obiectis & successibus extra nos: quòd & multa homini accidant inextricabilia humano iudicio, quorum ipse non est autor, & ipse in deliberationibus sæpius aberret, malum pro bono eligens: vt in Iosia bellum regi Ægyptio inferente videre est. Ideoq; Jerem. 10. cap. affirmat non esse in hominis potestate viam & gressus suos dirigere. Et regius vates suam infirmitatem agnoscens, Psal. 119. precatur: Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non dominetur mihi vlla iniquitas.

L I.

Deinde libero arbitrio i. opponitur seruum: quia illud sui iuris, & integrarum virium existens, nec in iudicio, nec in electione vim patitur ab externo principio: hoc verò impeditum ceu mancipium prauarum cupiditatum imperio captiuum tenetur, vt nihil aliud quàm malū eligere possit, etiamsi id sponte & libenter, non externo impulsu motum faciat.

L II.

Deinde libero etiam aduersatur violentum & coactum, quod non sua sponte, nec interioris electionis motu huc vel illuc inclinatur, sed ab externo principio violenter cietur.

L I I I.

Quando igitur D. D. Lutherus, sanctæ memoriæ, adimit voluntati non renatæ libertatem, opponit liberum seruo. Contra Bernhardus & multi alij, liberum dicunt respectu violenti & coacti, Vnde inquit ille: Libera est voluntas mala, quòd mala:
sed

sed seruilis eo ipso, quòd mala. Omnis enim qui facit peccatū, seruus est peccati. *LIIII.*

3. Ex hac quoq; distinctione colligimus, reiiciendum esse delirium Stoicorum, & Manichæorum furorem, qui docuerunt, omnia necessariò fieri, & hominem etiam externas actiones malas coactum præstare, vt aliter facere non possit: contra Paulum Rom. 2. affirmantem, gentes naturâ, quæ sunt legis facere. *L V.*

4. Ab his non multum discrepant, qui simpliciter affirmant hominis voluntatem ante conuersionem, in ipsa conuersione, & post eam, Spiritui sancto repugnare, & hunc donari illis, qui ex proposito & quidem pertinaciter ipsi resistunt. *LVI.*

5. Neq; veritatem attingunt, qui affirmant in regeneratione, animæ rationalis essentiam aboleri, & nouam ex nihilo creari atq; infundi. *LVII.*

6. Enthusiastarum quoq; errorem repudiamus, docentium, *DEVM* immediatè absq; auditu verbi, & Sacramentorum vsu, homines illuminare & saluare. *LVIII.*

Ex altera parte cum sana doctrina de libero arbitrio pugnat 1. Error Pelagianorum tribuentium hominis conuersionem naturalibus viribus, exclusa *DEI* grata. *LIX.*

2. Et Semi Pelagianorum, qui docent, hominem proprijs viribus incoare suam conuersionem, sed eam sine Spiritus sancti gratia absoluere non posse. *LX.*

4. Quibus affines sunt, qui asserunt hominem quidem infirmiore esse, quàm vt proprijs viribus suæ ad *DEVM* conuersionis initum facere, & legi diuinæ perfectam obedientiam præstare queat: sed tamen postquam Spiritus sanctus fundamenta conuersionis iecit, voluntatem ad gratiam se applicare, & ad sui conuersionem aliquid ex naturalibus viribus conferre, atque oblatam gratiam, sicut repudiare, ita etiam recipere posse: cum tamen minimè par sit vtriusq; ratio. *Postre-*

Postremò malè sentiunt, qui affirmare audent, hominem post regenerationem legem perfectè obseruare, ac implere posse, & hac impletione constare nostram coram DEO iusticiam, quæ æternam mereatur vitam.

Quod reliquum est, Deum oremus, ut in continuanda, non modò per omnem vitam spiritus aduersus carnem lucta & militia difficilima nobis clementer prestò sit, ne unquam carnis rebellionè opprimamur, sed victores euadamus perpetuò: Verum etiam tandem ἀπὸνδῶ carnis πολέμῳ prorsus exemptos, in possessionem integræ & perfectæ libertatis nos transferat, cui debetur omnis laus, honor & gloria, seculis infinitis, Amen.

Ἐν τῷ δόξαν.



ERRATA.

In Q. pro præditus est, l. pollet. Thes. 7. pro potestate, l. potestati. Thes. 42. constituat autorem, adde, peccati. Thes. 58. quædam exempl. habent grata, l. gratia. Thes. 60. pro initum, l. initium.

Aug VI 46(1)

ULB Halle 3
003 143 333





82

Reha

V. 17







QVÆSTIO
CONTINENS STA-
TVM CONTROVERSIÆ
DE LIBERO ARBITRIO,
vna cum assertione eiusdem, certis
compræhensa thesibus.

PROPOSITA

BVRCHARDO HAR-
BART CONICENSI. S. THEOLOGIAE LICEN-
tiato, & Publico Professore, cum insignia Doctoralia in
Theologia, solenni ritu ipsi conferrentur:

Et postea ab eodem publica dispu-
tatione repetita,
20. Decemb.



IMPRESSA LIPSIÆ, TYPIS
Abrahami Lambergi.

ANNO

MDCCXCVIII.

